



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

M. Fab. Quintiliani Vita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12945

M. FAB. QUINTILIANI
V I T A.

MARCUS FAB. QUINTILIANUS Romæ natus est: quibus consulibus, aut quo imperante Cæsare, non legi. Verissima conjectura adducor, ut fidem libris temporum non habeam, ubi legitur Quintilianus Calagura urbe Hispaniæ oriundus. Nam M. Valerius Martialis Calaguritanus agri alumnus, cum Iberos memoria dignos suis epigrammatibus inserat, nullam de Quintiliano mentionem facit, sed eum separatim cum veneratione nominat,

Quintiliane vagæ moderator summe juventa,

Gloria Romæ Quintiliane togæ.

Et ipse dicit, cum esset adolescentulus cognovisse Domitium Afrum, & Senecam: qui ambo sub Nerone periere. Seneca in libro sexto Divisionum, Quintiliani declamatoris meminit, cujus adhuc extant multæ declamationes acutæ & breves, stylo aliquantulum remissiore. Is avus fuit M. Fabii Quintiliani: qui Romæ multis annis rhetoricem cum summa laude docuit. Et ipse rursus Quintilianus mentionem facit patris, qui causidicus fuit apud principem. Neque notitia, neque gratia caruit. Domitiani enim Cæsaris nepotum cura ei delegata fuit. Disciplinæ ejus castigatissimæ plenissimum testimonium Cajus Cælius affert: qui sub tali præceptore tantum profecit, ut sui temporis oratores facile superaverit. Duxit uxorem ex nobili familia, ex qua liberos suscepit: quæ acerbissima fatorum sorte in primo juventutis flore rapta fuit. Alterum ex liberis, quum librum de causis corruptæ eloquentiæ edidisset, amisit: postea quum rhetorices libros scriberet, Marcellum unicum parentis lumen ac solatium rogo dedit, testis ipse & infelix senex suarum lacrymarum. Ejus filiola ex alia (ut credo) uxore, Tutili equitis Romani filia, genita, nupsit Novio Celeri, viro claro. Quo tempore decesserit, affirmare non audeo, quoniam is qui tradit, fide caret.

M. F A B.